

terra que in proprio dominio ecclesie erat, ubicunque jacebat, nihil prorsus in tali redditione persolvens, quia magis in ecclesia confidebant orationibus, quam in armorum defensionibus.

Verum cum Ælfredum Occidentalium Saxonum regem jam aggredierentur, ille nunc cedendo, nunc insistendo victricibus armis non solum à suis repulit, sed etiam Danico Merciorum regulo interfecto, è Mercia fere tota expulit, filiusque ejus Edwardus Senior patris victorias persecutus, Orientalem Angliam profligatis Danis sibi subjecit, uti Adelstanus ejus filius nothus pleno ad victorias gradu multa Danorum cæde Northumbriam debellavit, Danisque tanto terrore institit, ut vel è regno excefferint, vel se dederint. Horum principum virtute è calamitatum gurgite emerfit Anglia, annosque quinquaginta à sanguinolento illo bello conquievit. Cum autem Etheldredus vir languido animo regnaret, Dani ejus ignavia freti classicum denuo cecinerunt, regionemque populati, Anglos magna quotannis pecunia pacem redimere coegerunt, adeoque insolenter se gesserunt, ut Angli conjuratione inita, una nocte Danos omnes per Angliam ad unum occisione occiderint, rati hac sanguinis effusione se Danicum incendium restincturos, quod tamen in magis exitialem flammam exarsit. Sueno enim rex Danorum hac suorum cæde irritatus numeroso exercitu

Angliam invasit, immaniterque efferato animo grassatus Ethelredum fugavit, totumque regnum sibi subdidit, filioque Canuto reliquit, qui sævis asperisque bellis varia fortuna cum Ethelredo reduce, & filio ejus Edmundo, cognomine *Ferreum latus*, conflictatus, duos filios successores habuit, Haraldum scilicet nothum, & Canutum Audacem, quibus mortuis, Danorum jugo excusso, ad Anglos denuo recidit imperium. Edwardus enim ob sanctitatem cognomento *Confessor*, Ethelredi ex secunda uxore filius regiam recuperavit dignitatem. Iam Anglia respirare cepit, sed protinus, ut inquit ille, *mores rebus cessere secundis*. Sacerdotes erant inertes, somni pleni & imperiti, populus luxu solutiori, otio torpescibat, disciplina intermortua jacebat, innumeris vitiis Respub. quasi ægra intabescibat, superbia autem, cujus pedissequa exitium, maxime invalescebat. Et ut de illo tempore loquitur Gervasius Dorobernensis, *Sic ad mala perpetranda festinatur, ut nescire crimina, crimen esse videretur. Quæ omnia planissime excidium præcinerunt. Erant tunc temporis Angli, ut scribit Guil. Malmesburien- sis, vestibus ad medium genu expediti, crines tonsi, barbas rasi, sed superiori labro pilis incessanter fruticantibus intonso, armillis aureis brachiis cnerati, picturatis stigmatibus cutem picturitati, Clerici literaturæ tumultuaria contenti, vix Sacramentorum verba balbutiebant, &c.*

Canut. in nummis. Dani 200. annos Angliam afflixerunt, regnarunt annos plus minus 20. Edwardus Confessor.

1012.

## N O R M A N N I.



Vemadmodum antiquioribus seculis ex Orientali illa, quoad nos, Germaniæ ora quæ ad Septentriones vergit primum Franci, deinde Saxones Galliam, Britanniamque deprædationibus infestas habuerunt, & tandem hi Britanniam, illi Galliam occuparunt; Ita posterioribus temporibus primum Dani, & deinceps Normanni in eorum locum succedentes, ex eadem ora itidem factitarunt. Quasi oræ illi in fati esset, divino ita disponente numine ut gentes ad Galliam, Britanniamque affligendam, & nova regna in iisdem instituenda conciperet, & è suo sinu sæpius effunderet.

Hi à Septentrionali plaga, unde devenerunt, sic dicti, nam *Nordmanni* nihil aliud significat, quam *Viri Septentrionales*, quo etiam sensu, *Nordleudi* id est *Populus Septentrionalis*, appellantur, (commisti enim erant ex Norvegorum Sueonum, & Danorum fortissimis.) Caroli Magni temporibus per Frisiam, Belgicam, Angliam, Hiberniam, & Galliam piraticam tanta atrocitate exercuerunt, ut cum Carolus ille Magnus vidisset prædatorias eorum naves in mari Mediterraneo effusis lachrymis ingemuerit & dixerit, *Contristor quod me vivente ausi sunt hoc littus attingere. Prævideo quanta mala meis posteris sunt facturi*: & etiam in publicis Ecclesiarum supplicationibus sive Litanis fuerit postea adjectum, *A furore Normannorum, libera nos Domine*. Eoque Francos adegerunt, ut Carolus Calvus Haltingo Normanno Archipiratæ Carnutum Comitatum ad hominem deliniendum de-

derit, Carolus Crassus Godfredo Normanno partem Neustriæ cum filia in matrimonium concesserit. Deinde vero vi & armis juxta Sequanæ ostium sibi sedes posuerunt in regione quæ prius *Neustria* corrupte dicta erat, quod pars fuerat Westraliæ, sic enim mediæ ætatis scriptores dixerunt, quod Germani *Westenrijch*, id est, *Occidentale regnum* vocitarunt, comprehenditque quicquid inter Ligerim, & Sequanam ad Oceanum interjacet. Quod postea ab illis *Normannia*, quasi *Septentrionalium virorum regio* appellata, cum Carolus Simplex Rolloni eorum principi è sacro baptismatis fonte suscepto confirmasset clientelari jure tenendum, filiamque in uxorem dedisset. Quo tempore, ut legitur in veteri manuscripto Monasterii Andegavenensis, *Carolus Stultus dedit Normanniam Rolloni cum filia Gisla, hic non est dignatus pedem Caroli osculari, cumque comites illum admonerent pedem regis acceptance tanti beneficii oscularetur, lingua Anglica respondit, Ne se by God! Quod interpretantur, Non per Deum: Rex vero sui illum deridentes, & sermonem ejus corrupte referentes, illum vocaverunt Bigod, unde Normanni adhuc vocantur Bigodi.* Et hinc fortasse est quod hypocritas, & superstitiosos Galli etiamnum *Bigod* appellitent.

Neustria.

Bigod.

Rollonem hunc qui è sacro fonte susceptus Roberti nomen accepit, alii simulate, alii deliberate & serio Christo nomen dedisse tradunt, divinitusque somnio admonitum addunt, quod liceat mihi, nec somniis tamen credulo, absque vanitatis suspicione ex fide scriptorum ejus ævi referre. Ferunt illum navigantem per quietem vidisse semetipsum elephantiasi sædatum, sed nitidissi-

Nordmanni Nordleudi. Helmoldus.

Liber Sanguinensis de Gestis Caroli Magni.